UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi, Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m] patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Vt singuli presbyteri singulas habeant Ecclesias. xliii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Visual Library

De lignis dedicatæ Eccleſiæ, ad quos vſus verti debeant. Cap. XXXIX.

Ex decr. Ygini papæ, ca.3.

LIgna Eccleſiæ dedicatæ non debent ad aliud opus agi, niſi ad aliam Eccleſiam, vel igni comburenda, vel profectum in monaſterio fratribus, in laicorum opera debent admitti.

Quid epiſcopo agendum ſit, ſi plures hæredes de vna contenderint Eccleſia. Cap. XL.

Ex cõcil. Tribur. cap.20.

SI plures hæredes contenderint de communi Eccleſia, auferri iubeat epiſcopus reliquias ſacras & Eccleſiam claudi, donec communi conſenſu & conſilio epiſcopi conſtituant ibi presbyterũ, & vnde viuat.

De eadem re. Cap. XLI.

Ex decr. Gre. pa. cap.5.

DE Eccleſiis quæ inter cohæredes ſunt diuiſæ conſiderandum eſt, quatenus ſi ſecundum prouidentiam & admonitionem epiſcopi ipſi cohæredes eas voluerint tenere, & honorare faciant. Sin autem hoc contradixerint, in epiſcopi poteſtate maneat, vtrum eas ita conſiſtere permittat, aut reliquias inde auferre velit.

De Eccleſiis inter hæredes diuiſis. Cap. XLII.

Ex cõcil. Mediomatricis, cap.1.

PErlatum eſt ad ſanctam ſynodum, quòd inter hæredes Eccleſiæ in rebus propriis conſtitutæ diuidantur, tanta per eandem diuiſionem ſimultas oriatur, vt de altari quatuor partes fiant, & ſingulæ partes, ſingulos habeant presbyteros, quod ſine diſcordia & ſimultate nullo modo fieri poteſt. Vnde nobis viſum eſt, quòd huiuſcemodi Eccleſiæ inter hæredes diuidi non debeant, & ſi in contentionem venerint, & ſimultates inter eos ſurrexerint, propter quas ſacerdos ſuo ibi officio canonicè fungi nõ poſſit, præcipiatur ab epiſcopo ciuitatis vt nullo modo ibi Miſſarum ſolennia celebrentur, donec illi ad concordiam redeant, & pari voto atque cõcilio Eccleſia illa ſacerdotem canonicè habeat, qui liberè ſuum miniſterium ibi peragere poſſit.

Vt ſinguli presbyteri ſingulas habeant Eccleſias Caput XLIII.

Ex decr. Dionyſii pa. ca.4.

DE Eccleſiis ergo parochianis, vnde apoſtolicã ſedem conſulere voluiſti, qualiter ſint cuſtodiendæ ac dandæ ſacerdotibus, nihil tuæ charitati melius nobis videtur intimare, quàm vt ſequaris, quod nos in Romana Eccleſia nuper egiſſe cognoſcitur. Eccleſias verò ſingulas ſing-

presbyteris dedimus, & vnicuique ius proprium habere ſtatuimus, ita videlicet, vt nullus alterius parochiæ terminos, aut ius inuadat, ſed vnuſquiſque ſuis terminis ſit contentus, & taliter Eccleſiam & plebem ſibi commiſſam cuſtodiat, vt ante tribunal æterni iudicis ex omnibus ſibi commiſſis rationem reddat, & non iudicium, ſed gloriam pro ſuis actibus accipiat. Hanc quoque normam, chariſſime, te, & omnes epiſcopos ſequi cõuenit, & quod tibi ſcribitur, omnibus quibuſcunq; potueris notum facias, vt non ſpecialis, ſed generalis fiat iſta præceptio.

De eadem re. Cap. XLIIII.

VNVSQVISQVE presbyter Eccleſia vna ad quã ordinatus eſt, contentus ſit, & nullus in duabus Eccleſijs miniſtrare præſumat. *Ex cõcil. Remenſi, cap. 2.*

De eadem re. Cap. XLV.

SIcut in vnaquaque Eccleſia presbyter debet eſſe, ita ipſa Eccleſia quæ ſponſa, vel vxor eius dicitur, non poteſt diuidi inter plures presbyteros, ſed vnum tãtummodo habebit ſacerdotem, qui eam caſtè & ſynceriter regat. Vnde interdicimus, vt nullus præſumat Eccleſiam inter duos vel plures diuidere: quia Eccleſia Chriſti vxor & ſponſa debet eſſe non ſcortum, ſicut Caliſtus papa teſtatur. *Ex eodẽ concil. ca. 8.*

Vt vnuſquiſque presbyter vna Eccleſia contentus ſit. Cap. XLVI.

STATVTVM eſt, vt vnaquæque Eccleſia ſuũ preſbyterum habeat, vbi id fieri facultas prouidente epiſcopo permiſerit. *Ex eodẽ, cap. 11.*

De eadem re. Cap. XLVII.

SIcut enim epiſcopus non plus poteſt habere quã vnam ciuitatem, & vir vnam vxorem, ita presbyter vnã tantùm Eccleſiam. Itaque nullus presbyter plures præſumat habere Eccleſias, ſi de ſtatu ſuo gaudere deſiderat. *Ex cõcil. Hãnetẽſi, cap. 3.*

De eadem re. Cap. XLVIII.

SI quis de ordine ſacerdotali contẽptu minoris Eccleſiæ ambitioſè & improbè ad potiorẽ aſpirauerit, canonica erga eũ definitio cõſeruetur, hoc eſt, vt vtriſq; careat. *Ex cõcil. Meldẽſi, cap. 10.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN